

A. ALCIATI PRÆFATIO AD LECTOREM



Cum in scribenda patriæ historia diutius uersatus essem, aliquotq; eius argumenti libros iam absoluissem, animo mecum reuoluere coepi, quid nam aliud interim moliri deberem, quod lasso mihi, totq; bellicarum rerû descriptione fatiscenti, et laboris tædium leuaret, et amoemitate quâ oblectaret, uiresq; quibus ad institutû opus fortius resurgerẽ instauraret. adieci itaq; ad uetera urbis nostræ monumenta oculos, existimauiq; operæpretium me facturum, si quot quot id genus extarent, perquirerem in libellumq; aliquem conijcerem, et præfixis titulis, quæ obscuriora uideri possent, explanarem, ita n. fore, ut uarietate lectionis aliquantisper recrearer, et sicut etiam occupatissimi grauissimis iuris homines, in amoemissima quandoq; uireta diuertentes, maximam huiusmodi ex remissione uoluptatem consequuntur, sperabam, et ipse soluto, ut ita dicam, arcu, alio: quanto alacrius hoc in argumento agere, et res serias etiam ludendo tractare. Inuitabar ad hanc rem doctissimorum quoq; uirorum exemplo, qui tam greci q; Latini hoc scribendi genus minime neglexissent, e, quibus Planudes Byzantius, ijs quæ carmine constarent, grecè descripta Anthologiam suam maxime instruxit. Quid aliud sunt Philostrati Icones, Chrestadori, Leontij, tituli q; antiquorum monumentorum, aut inscriptiones, aut eorû qui inscripti sunt breues historiae. At ex Latinis præcipue hoc nomine celebris Pomponius Latus fuit, qui tempestate sua Romane academice princeps habebat, cuius uestigijs insistentis Cyriacus Anconitanus uniuersam fere Europam sagacissimus uir, hac ex causa peragravit, ut compluria ueterum Fulogia ueraretur. Accessi itaq; eorû et ipse numerus nouusq; miles in antiquariorum albo nomen dedi, uel hac laude contentus, quod uiuorum nostrorum nomina ab iniuria mortis quodam modo uendicare, et quæ iam perierant, Apollinea ope ad præsentem uitam renocarem, quæ opera